Stadtbibliothek im Bildungscampus Nürnberg

NÜRNBERG

Bibliographische Daten

Titel:	Hartmann Schedel: Liber chronicarum – Nürnberg, STN, Cent. II, 98
Signatur:	Cent. II, 98

Die Nutzung der Digitalisate von gemeinfreien Werken aus den Sammlungen der Stadtbibliothek im Bildungscampus Nürnberg ist gemäß den Bedingungen der Creative-Commons-Lizenz Public Domain Mark 1.0 uneingeschränkt und kostenfrei erlaubt.

Im Sinne guter wissenschaftlicher Praxis wird gebeten, bei der Verwendung von durch die Stadtbibliothek im Bildungscampus überlassenen Digitalisaten stets die Quellenangabe in folgender Form zu verwenden: Stadtbibliothek im Bildungscampus Nürnberg, [Bestandssignatur + Blatt/Seite]

Im Interesse einer laufenden Dokumentation und der Information für Benutzerinnen und Benutzer erbittet die Stadtbibliothek die Überlassung von Belegexemplaren oder Sonderdrucken von Veröffentlichungen, die aus der Benutzung von Handschriften und anderen Medien in den historischen Sammlungen der Stadtbibliothek hervorgegangen sind. Sollte eine Abgabe nicht möglich sein, wird um Mitteilung der bibliographischen Daten der Publikation gebeten.

Ad deum optimum Maximum de hiis que mirabilia gessit pro iustissimo et excel-so Maximiliano Rege Romanorum

Auctor et princeps operose mundi:
Quique deceptis opifex fuisti.
Gentibus iudex / rediturus idem
Omnibus equus:

Quam potens rerum fueras creator:
Quam dator largus redimis salutem:
Quam reddis iustus trutinator orbis:
Quam sapiensque!

Cum velis iustus homines tueri:
Mirus es cause melioris actor:
Mirus iuste domitor querele:
Hostis iniquis.

Suetus humanis animis preesse
Mitigas seuos: placidos acerbas:
Sontibus sontes agitas: et hostes
Hostibus urges.

Noxius addens ouium pauorem:
Fortium iustis animos leonum:
Militum multas acies retundis
Agmine paruo

Tu iubes ventis sileant: silentque
Precipis ponto tumeat: tumetque
Imperas lune lateat: latetque
Sanguine tincta

Vere canentes hyemes virenti
Turbidas celo pluuias sereno
Sepe permutas: facies et usus
Mensis et anni.

Tanta cum regi dederas romano
Audias voces: iuuenum senumque:
Audias grates hominum: precesque
Iusta petentum.

Inde non cesses melior patronus
Cum suis Regem populis tueri
Principem serua: sobolem: domumque
Adde triumphos.

O deus serues deus hoc precamur
Cesari natum simul et nepotem
Indolis mire: uideant regentes
Tempore longo

Hisque sic patrem foueas auumque
Cuius exemplo pagant iuuentam
Et suis gestis fuerit senecta
Grandior illi

Sic regant orbem dominando recte
Quo fidem nobis pius ut dedisti
Protegant semper eiusque vincant
Illius hostes

Et feros turcos rabidasque gentes
Pellere: et castris spoliare victos
Ut queant: regna et reparare quondam
Christicolarum

Prosperos gressus animique motus
Austrie stirpis: foueasque felix
Cepta quo a priscis patribus per omne
Proroget euum

Hec mari ac terra vigeat parando
Gloriam semper: ferat et sub ortus
Solis et casus teneras alma signa
Nomine christi.

Inde celestium meritis triumphum
Consequi tandem mereantur omnes
Cum bone legi dederint subactum
Robore mundum

Hec rogat noster chorus ut perennem
Gloriam eternus pater atque natus
Spiritus sanctus deus et sequuntur
Trinus et unus.

Amen

ΤΕΛΟΣ.

· LAUS · DEO ·   · 1493 ·

· H · S ·